



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutilat, vel
abscindet, vel seipsum mutilar, fiat irregularis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

um habet, prout oculus v. g. est ad videndum, auris ad audiendum, manus ad palpandum &c. cuius mutilationis v. g. si quis causa sit physica, vel moralis, irregularis erit, siue iniusta causa sit, siue iusta ex auctoritate publica, ad vindictam criminum, instituta, prout de occisione dictum est, ex defectu scilicet perfectæ lenitatis, vel ex delicto mutilationis iniustæ, cum injure, quoad irregularitatem incurrendam, æquiparentur inter se homicidium & mutilatio membrorum. c. In archiepiscopatu 4. de reprobis, & Clement. uni. junct. Gloss. V. Mutilat. h. 2.

§. II.

An qui membrum debilitat, vel aridum, & inutile mutat, vel abscindit, vel seipsum mutat, fiat irregularis?

Qui membrum aliquod inutile tantum facit ad suas functiones, lædendo v. g. illud, aut aliter vulnerando, absque membri talis abscissione, irregularis non fit, cum aliud sit membrum debilitare, & aliud abscindere, huic est posita in jure irregularitas, non autem illi, prout probari etiam potest ex can. Sicut 47. caus. 1. q. 1. quod si tamen quis abscindat membrum tale sibi, hinc & nunc inutile & plane mortuum, ac carens animâ, non fit quidem talis irregularis, cum hæc abscissio propriè mutilatio non sit, quæ dicit abscissionem membri vivi; irregularis tamen erit, si tale membrum hinc & nunc quidem inutile, & aridum, vitam tamen humanam adhuc habeat, quia verè mutat corpus huma-

num membro aliquo: quoties tamen alium mutilando fit aliquis irregularis, toties etiam fit irregularis seipsum mutilando, imò ad incurrendam irregularitatem sufficit nonnunquam sibi ipsi partem corporis etiam occultam abscidisse, uti patet ex Lib. 1. Decret. Tit. 20.

§. III.

De dispensatione in irregularitate contracta & homicidio, & mutilatione.

Cum homicida injusto, & indirectè voluntario in irregularitate, quam propterea incurrit, nemo dispensare potest nisi Summus Pontifex, siue publicum illud sit, siue occultum, prout colligitur ex can. Miror. 4. dist. 50. junctâ Glossâ. V. Miror. & expressè statuitur in Trident. sess. 24. c. 6. de reform. & sess. 14. c. 7. de refor. nisi urgeat necessitas ad dispensandum cum occulto homicida. In irregularitate, quæ oritur ex mutilatione voluntaria & illicita, si occulta sit, probabiliter dispensare potest Episcopus, cum facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, concessa sit à Concil. Trident. Episcopis, nisi proveniat ex homicidio occulto, cum ergo verba licentiam hanc concedentia universaliter loquantur, & homicidij nomine propriè non intelligatur mutilatio, consequenter restrictio Tridentini non videtur extendenda ad mutilationem, cum verba restringentia verba odiosa strictè sint intelligenda: prout etiam probabile est, quod Episcopus dispensare possit cum homicida occulto, qui non ex proposito & directè intende-

D d d d x

ret